



# Disputatio medica inauguralis de Ileo, seu Iliaca passione

<https://hdl.handle.net/1874/345772>

3.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
ILEO, SEU ILLIACA PASSIONE,  
*QVAM*  
AUSPICE DEO OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**M. JOHANNIS LEUSDEN,**

Philosophiæ Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus Prærogativis &  
Privilegiis, ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*  
**ISAACUS GALENUS, AMSTELÆ-BAT.**

*Ad diem 4. APRILIS, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clo lcc xcii.

VIR O Reverendo

D. G A L E N O  
A B R A H A M O

Medicinæ Doctori , apud  
Amstelædamenses Practico  
felicissimo , Veterrimo , & in  
cætu Christianorum , quos  
Mennonitas vocant , Verbi  
Divini Ministro facundissi-  
mo , Parenti suo plurimum  
honorando , & ad busta co-  
lendo , filiali obsequio ,

Hæc Theseis Inaugurales

offert , vovet , ac dedicat

I S A A C U S G A L E N U S .

D I S P U T A T I O A M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

I L E O , S E U I L I A C A P A S S I O N E .

§. I.



Udax Japethi genus, ut cum Horatio loquar, à multis ac crudelibus affigitur morbis, inter quos Ileos, seu Iliaca passio sane minimum sibi non vindicat locum, dummodo, quos affigit, non raro brevi temporis spatio ultimum efflare facit halitum. Nos nostræ, si quæ in nobis est, eruditionis specimèn exhibituri, hanc nobis horrendam ac omnium ferè iudicio funestam elegimus affectionem, quia nobis eam videre licuit: illam tamen breviter solummodo pertractare fert animus: quam ob rem, missis omnibus ambagibus, jamjam cum eâ in arenam descendimus, ab ejus Etymologemate nostra capientes primordia.

§. I I.

In inquirenda ac investigandâ Ilæi Etymologiâ, multum se torfere auctores, sunt, qui derivare conantur ἀπὸ τῆς εἰλεῖν vertendo, vel volvendo, quia in eo intestina manifestè convolvi & quasi in nodum complicari credidere: Unde & volvulus & convolvulus nuncupatur. Aliis suas natales debere videtur πρὸ εἰλεῖν coarctare; permultis etiam persuasum est ortum esse ἀπὸ τῆς εἰλεῖν misereri, quia cum acutissimo conjunctus dolore, ægros haud raro, miserere mei exclamare facit: unde Barbarum sectantes Medicinam, vel vulgus miserere mei dicere amat. Galen. 2. l. Meib. Med. cap. 2. ut & Cl. de la Boë Sylvius Prax. Med. lib. 1. cap. 14. §. 7. Illeum seu Iliacam passionem sic dictam esse putant à parte suâ primariè affecta, sc. ex intestino Ileo, quorū sententiæ nostrum & addimus calulum. Synonymiam quod spectat, varia etiam apud auctores hic

A 2

affectus

affectus fortitus est nomina: appellant enim  $\Delta\pi\alpha\chi\omega\delta\alpha\tau\alpha$ , (quod chordarum expansionem denotat) eò, quod manibus parti dolenti admotis chordæ tensæ sensus imprimatur. Insig-  
nitur & hoc malum nomine  $\Phi\epsilon\varphi\mu\alpha$  teste Hollerio. Aliis vomitus  
stercoris, acutum tormentum, vel colicæ augmentum audit: &  
si quæ alia nomina, quorum recensione nos non diutius detinebi-  
mus, ad majora properantes. Sed antequam ab ejus Etymologiâ di-  
scedamus, notare lubet antiquos Ilei nomine dupli sub sensu usos  
fuisse, nim: vel generaliter, pro quovis infimi ventris dolore in-  
signi, ut & ventriculi, uteri, renum, mesenterii & intestinorum,  
referente *Mercurialis Variar. Lect. lib. 5. cap. 11.* Vel specialiter, p्रo  
eo dolore, cuius primaria sedes in ipso intestino Ileo collocatur:  
cuius tractatus nobis jam omnem implebit paginam. Quapropter  
missis Etymologiis ad definitionem, divisionem, causas, signa, cu-  
rationemque ejus totos nos conferimus.

## §. III.

Ad definitionem itaque ejus properamus, ut hisce præmissis fa-  
cilior nobis ad ejus notitiam pateat aditus. Variè dum variis hunc  
definire affectum placuit, illorum recensio opus esset nimii tædii,  
ac futile. Quamobrem, missis his omnibus, Iliaca passio sic commo-  
dissime circumscribitur; nim. ex quod sit: Motus intestinorum &  
per consequens etiam ventriculi peristalticus præposterus, atque  
inversus, à variis causis oriundus unà cum totali alvi constipatione,  
fcecumque per os exclusione. Sic nobis audit pernitiosus hic huma-  
noque generi infestissimus hostis. Melioris autem conceptus gratiâ  
hancce passionem dūas in partes dividemus; in Ileum sc. verum, &  
spurium. Ileos verus est, cum à nimis tumultuante sanguine humo-  
res acres aliisque maligni in ventriculum & intestina deponuntur,  
quorum culpa peristalticus intestinorum motus omnino evertitur,  
ita ut omnia in iis contenta vomitu per os ejiciantur. Nothus est,  
cum Iliaca passio oboritur ab obstructione fistularis intestinorum  
ductus, ita ut ob obstrūctum intestinum nihil ad inferiora descen-  
dere valeat, siveque non totius intestinorum ductus motus excre-  
torius invertatur, sed tantum ejus pars, quæ supra sedem istius  
obstructionis sita est. Hæcque commodissima nobis visa est divisio,  
quapropter in nostra thesi omnino ei insistemus. Sed exigit ordo, ut  
etiam quid de subjecto, seu parte affecta hujus affectus statuen-  
dum sit, videamus. Est autem Ilei veri, subjectum totus intestino-  
rum

rum fistularis ductus unà cum ventriculo, horum quippe omnium motus naturalis convertitur in convulsivum. Ileos autem Nothus primarium suum subjectum agnoscit intestinum Ileum dictum, tenuum intestinorum tertium, omnium longissimum, viginti & unum palmos adæquans, situm sub umbilico ad Ilia & coxas utrinque. Reliqua vero omnia intestina, tam tenuia, quam crassa, ipsi pro subiecto secundario sunt; quatenus & in iis obstructio oriri possit, crassaque intestina facilius inflammatione corripiantur: qualem inflammationem in colo se bis observasse testatur Dolens sua in Encyclopædiâ cap. prop. ut & medicorum illud lumen Willis. Pharmac. rat. p. m. 12. Ita ut nullus dubitem crassa etiam intestina Iliacæ passionis Nothæ subiectum secundarium asserere. Multo magis, cum tot harum affectarum partium exempla in celeberrimorum Medicorum observationibus prostent, quæ inde haurire licet, dulcius enim ex ipso fonte bibentur aquæ; nec ea hic afferre, propositi ratio ferret, ut qui toto animo brevitatem affecto, quapropter causarum castra lustrari nunc fert animus.

## §. I V.

Ut autem nostrum hostem minus aspicere liceat, videamus, primo qualibus armis, ac quomodo nos affligere soleat. Sed veri Ilei prima erit habenda ratio, quapropter, ut ordine procedamus, hujus causas prius enucleare tentabimus. Sed antequam illud aggrediamur, dum motus peristaltici tractatus alterutram nobis implet paginam, in eo explanando parumper immorabitur. Totam autem chylificationem, quidque chylo in intestinis porro accidit, enarrare non est hujus loci: liceat solummodo, quid partibus ejus crassioribus ac excrementis contingat, inquirere. Quo melius itaque reliquiæ chylificationis amendantur adeoque chyli veteris exuviae penu ejus novo locum cedant, natura, (sit venia voci) motum intestinis excretorium ferè constantem & quasi solennem indidit: cuius motus media, ac stimuli varii sunt. Perficitur quippe hic motus à fibris intestinorum carneis tunicam eorum medianam contexentibus, quarum duplex ordo: prima series, vel exterior fœse rectâ in longitudinem eorum viscerum extendit, interior autem constituitur ex fibris circularibus, quasi totidem annulis. Hæ fibræ ope spirituum animalium inflatæ, actumentes decurrentur, ac breviores evadunt, intestinaque in omnem dimensionem constringunt, eorumque cavitatem coarctant: hoc motu

## 6 DISPUTATIO MDEICA

successivo fæces versus anum propelluntur. Quod autem talis continuus aut successivus spirituum animalium in illas fibras fiat influxus, in causâ sunt. 1. Vel fæces suo onere, ac acredine intestina lacescentes, vel 2. alii humores bilis sc. ac succus Pancreaticus, vel etiam succus ex glandulis intestinalibus excretus, qui sua acredine & molestâ irritatione tunicam intestinalum nerveam affligunt, quâ spirituum continua fit determinatio. Hoc in diverticulo, redeamus nunc unde digressi sumus, ad causas sc. Ilei veri. Proxima autem causa, ut antea monuimus, est totius fistularis ductus intestinalum ut & ventriculi motus, jamjam traditi, inversio, quâ, quæcunque in intestinalis continentur, versus superiora protruduntur, ac per os excluduntur, ita ut etiam clysteres injectos & suppositoria in anum intrusa per vomitum rejiciant. Hujus exempla ab observatoribus varia traduntur, quæ omnia allata in immensum hanc thesin excrescere facerent. Unum saltem rei illustrandæ gratiâ, ex *Riv. Prax. Med. lib. x. cap. 2.* his adjungam. Sic refert prædictus auctor ex *Mattheo de Gradi*: Puellam quandam, annos natam duodecim Ileo laborantem, postquam per triduum non solum fæces, sed etiam clysteres injectos vomitu rejecisset, tandem suppositorium oblongum in anum immissum, post breve tempus vomitu excludisse. Cum vero deinde suppositorium aliud filo ad coxam alligaretur, illud statim, disrupto filo, sursum ascendit ad ventriculum, idque ægra cum parte fili appensi evomuit. Et cum tertio suppositorium aliud filis fortibus alligaretur, illud etiam paulo post ruptis filis per os cum parte filorum rejectum est. Tandem cum Medicus juberet, ut mater aliud suppositorium immitteret, tantâ violentiâ sursum attractum fuit, ut mater, nè rursus raperetur, illud extrahere coacta fuerit. Horrenda sanè ac miseratione digna historia! Sed videamus porro quænam sint causæ, quæ tantas turbas excitare valent: Liquores à Pancreate, ductibus biliaris glandulisque intestinalibus expui soliti in intestinalum cavitatem hic potissimum culpandi videntur: nim. dum acrimoniâ nimiâ peccantes, ita vellicant, & scindunt illorum tunicam nerveam, ut spiritus inde effræni redditi in motus inordinatos cieantur. Motum etiam hunc inversum excitare possunt particulæ multæ acres ac malignæ, quæ ex tumultuante sanguine in febris in ventriculum & proxima intestine deponuntur, quarum culpâ ventriculus primo motum suum invertere, ac violento motu materiam molestam in eo contentam per

os rejicere cogitur; cui motui intestina continuata mox obediunt, ac in consensum trahuntur, ventriculo vomitidente quasi Chorea ducente. Ut hocce recte statuit Illustris Sydenham. sect. i. cap. iv. Haec autem, ut brevis sim, mihi visae sunt causae Ileum verum producentes. Quamobrem aliam nunc obambulabimus chordam, pressio sc. pede ad Nothi Ilei causas nos conferimus.

## §. V.

Causa sicuti in vero, sic & in Notho Ileo proxima est motus peristaltici inversio, attamen sub hoc discrimine, quod in vero totus motus peristalticus invertatur, in Notho saltem ejus partis intestinorum ductus quæ supra obstructionem est. Causæ autem continentes & procatharticae sunt omnia ea, quæ cavum intestinorum occludere queunt; suntque hæ communiter, fæces induratæ ac minis diu retentæ; fatus crassi magnâ copiâ in intestinis collecti, eaque valde distendentes: inflammatio aliisque tumores magni, cavitatem intestinorum penitus occludentes: constrictio intestinorum in herniis, denique & ingressus partis intestini inferioris in superiorem vel superioris in inferiorem. Inter hasce causas, quæ obstruendo cavitatem intestinorum Ileo ansam dant, primas tenet, ut nostra ex recensione patet, fæcum alvinarum retentio, ac induratio. Hanc retentio autem accidere solet, quando humores pontici ac asteri in ipsas intestinorum tunicas per earum glandulas numero ne- scias deponuntur, quorum ope intestina contrahuntur, eorumque cætus coarctatur, quibus coarctatis fæces descendere non possunt, sed in iis morari coguntur. Retinentur quoque fæces, quando ita indurantur ut loco moveri non possint; quod sit, quando nullus, aut saltem acido-stypticus in duodenum expuitur succus pancreaticus, qui fæces loco diluendi coagulat: idem etiam præstare potest glandularum intestinalium humor, aut heterogeneus, aut non pro more solito secretus. Occluso ita intestinorum cavo excrementa quotidie accumulantia suâ acredine & molestia ita irritant intestina, ut in talem motum præposterum trahantur; aut intestinum Ileon, (in eo enim ut plurimum accidit, quia versus coli initium arctius evadit) earum pressione valde distenditur, ejusque tubuli per quos spiritus animales iter facere solent, coarctantur, ac compri- muntur, ita ut illi ob denegatum liberum transitum inordinate moti, ac ob fæcum morâ acredinem conceptarum irritationem majori copiâ eò versus destinati intestina convellere occipient, ac in consensum

## 8 DISPUTATIO MEDICA

sensum træcto ventriculo fæces motu peristaltico inverso per os ejiciantur.

Secundum nunc sibi locum vindicant flatus crassi magnâ copiâ in intestinis collecti , eaque valde distendentes. Modus autem , quo tales flatus generantur talis nobis esse videtur , haud planè diversus illi , quo pueri ex sapone in aqua soluto bullas per straminis tubulum excitare solent ; materia enim fermentescibilis pituitæ viscidæ seu sero viscidiori inclusa in actum dedueta , ac rarefiens corpus illud , quo vestitur , magis magisque extendit , ac in flatus elevat , qui tandem ulteriori rarefactione sponte rumpuntur : cum materia illa viscida prius ita distracta & rarefacta concidit , redditque in pristinum statum , cessante fermenti actione propter defectum materiæ , in quam sic agat , nisi aliæ materiæ simili se insinuet , eamque similiter in flatus distrahat , ac rarefaciat . Perspecta sic flatum naturâ , restat , ut videamus quomodo nunc hi flatus nostrum affectum causare possint . Hi igitur flatus crassi magnâ copiâ in intestinis geniti , ac dissipari , & avolare nescii descendunt fæcum alvinarum impediunt : distendentes quippe intestinorum tunicas , tubulosque eorum comprimentes , spirituum animalium , qui per eos fluere debebant , impediunt influxum sufficientem in fibrillas motorias , quo influxu impedito motus peristalticus recte peragi non potest , ita ut fæcibus ob insufficientem motum excretorium & flatum renitentiam descendere non liceat , ac proinde ingesta , spirituum animalium inordinato influxu , præpostero ac perverso motu vermiformi instituto , per eandem viam , quâ intrarunt , redire cogantur . Hæcque de flatibus sufficient ; eos enim latius pertractare propositi ratio non ferret , quapropter hos missos facimus ,

Tertiam causam explanaturi ; hæcque erat inflammatio , unâ cum aliis tumoribus magnis viam fæcibus præcludere valentibus . Fit autem inflammatio cum sanguis extravasatus , inque interstitiis minimorum tubolorum stagnare coactus heterogeneam quandam naturam induit . Sanguis enim evasatus particulis suis spirituosis , subtilioribus , ac volatilibus mox orbatur ; quibus evanidis particulae acidæ , ac salinæ ab iisdem temperare solitæ in se invicem insurgere incipiunt , acrioresque redduntur , quo motu intestino particulæ sulphureæ exaltantur , indeque tantus calor ac rubor ; dolor autem ille pungens à particulis salinis , ac acribus fibrillas nerveas scin-

scindentes; ac pungentes excitatur; sed ea mox clarius patebunt; modo, quo talis inflammatio in intestinis excitari soleat, magis in conspectum ducto. Notum igitur est intestina constare triplici tunica, quarum prima, nempe in parte concavâ est nervosa, media carneâ, extima membranacea, inter quas terminantur innumeræ arteriæ, quarum ope sanguis nutritioni intestinorum dicatus in eas defertur, particulæque nutritioni idoneæ per earum minima orificiola deponuntur. Si nunc contingat, quod nimia sanguinis rarefactione arteriæ nimis distendantur, orificiaque eorum patuliora reddantur, per ea facile particulæ salinæ & acidæ viscosæ & id genus aliæ, unâ cum sanguine expelluntur; quæ, dum à venis resorberi nesciunt, ibidem stagnant. Particulæ hæ salinæ, ac acidæ fugatis particulis volatilibus, quæ eas domare solebant, vinculo suo solutæ ac quasi effraenæ, motum intestinum instituunt; cum autem ob suam rarefactionem majus requirant spatum, pars affecta tumere incipit, ac expanditur: fibrillæ hæ ita expansæ facili modo à particulis istis aculeatis reiteratis vicibus in eas impingentibus, discinduntur, quæ discissæ in circinos abeunt ac instar fidium resiliunt, tristemque valde in nobis sensationem excitant. Sicque erosio ac disruptio fibrillis, ac orificio vasorum major sit sanguinis affluxus, ac indies inflammatio accrescit, quæ tandem putrefacto sanguine in exulcerationes & abscessus degenerat, saepius etiam gangrenas ac sphacelos producit. Talis si inflammatio circa coli initium contigerit, ubi plerumque etiam observatur, fibræ ita laesæ, contractiones pro fæcibus elevandis obire non possunt, quapropter versus Ileon intestinum stagnantes passionem saepissime incurabilem producunt. Idem ferè accedit si tumor ab inflammatione ortus incaum intestini vergat, ita ut illud occludatur, & liceat ut non omnino cavitatem obturet, faeces attamen præterlabi non finit: illæ quippe in ulcus istud incidentes, illudque terentes tantum dolorem excitant, ut intestina se se contrahant, faecesque resilire faciant. Quomodo autem carunculæ in intestinis natæ, aliquæ tumores carnosæ viam chyli exuvii præscindere possint, jam facilius est concipere, quam quod explicacione indigeat. Quapropter hisce, ut satis claris, sepositis, ad quartam nostræ affectionis causam presso pede transimus.

## §. VI.

Quarto itaque loco, ut causam Nothi Ilei recensuimus constrictionem

Etiorem intestinorum in Hernia.<sup>18</sup> Herniam autem iliaca passionis matrem quandoque existere attendenti facile patebit; perpendat solummodo mecum quod, si intestinorum vel intestini alicujus prolapsus in inguen, scrotum, aut umbilicum fiat, fæces ob compressam fistulam intestinalem ibi morari ac hærere debeant, præsentim si Hernia sit talis, ut foramen per quod intestina exciderunt, sit nimis parvum, quam quod se per id reponere patientur. Fæces enim alvinæ priores, que jam circa Herniam morantur, à fæcibus denuo allabentibus in intestinum compressum intruduntur, ita ut postea Herniâ jam sublatâ induratæ ac solvere nesciæ nostrum producant morbum. Cujus exemplum extat in *obs. xvii. lib. xxi. Forest.* Potest & inde produci inflammatio, ac plura alia mala. De quibus vide §. v.

Sed agmen nunc claudat, quinta ac ultima Nothi Hei causa, nimirum interceptio, vel insinuatio intestinorum, hoc est partis vel superioris in inferiorem, vel inferioris in superiore ingressus: qui plerumque sese hoc modo habet: Intestina per longum tempus à flatibus maximè distenta, ægro obtormina corpus suum mirum in modum agitante ac flectente, à flatibus subito liberata concidunt, & ob debilitatas per longam distensionem fibras sese contrahere nesciunt, quapropter à flatibus in ipsa abdominis cavitate contentis pars ejus quæ à mesenterio libera est in eorum cavitatem vel versus superiora vel inferiora intruditur, ac insinuatur, ibidemque quasi in nodum complicatur; postmodum status, (sc. si insinuatio est versus inferiora) à superioribus regurgitantes insinuatum intestinum rursus expandere nesciunt, sed potius magis ac magis impellunt, siveque intestini cavum obturant, fæcibusque desertissus de negantur; fatus continuo partem ita intrusam asservantes: hancque sententiam variorum *Cl. Vir. Obsrvo.* affirmant: inter quos *Cl. Sybu.* lib. i. cap. 15. §. 18. ita refert de Puellâ quadam; à me dicit, deprehensum fuit intestini tenuis parte quavis coarctati ingressus in partem proximam, sed flatu solito magis expansam. Binas tales insinuationes in uno subjecto ipsemet vidi in Nosocomio Amstelodamensi Anatomen instituente *Cl. Fred. Ruysebro.* mihi ad rogum usque colendo.

Quam plurimi etiam statuunt intestina sibi invicem mutuo inseri, ita ut pars intestini superior illabatur in inferiorem vel è contra, separato sc. à mesenterio intestino tenui: hocque fieri posse non eo insicias, attamen rarissimè accidere credo, dummodo intestina

ftina; tam arcte ac firmiter mesenterio sint alligata, ut non nisi maxima vi ab eo separari possint. Sed crederem multos mox enarratam insinuationem non satis attentos pro verâ insertione acceptisse. Talis tamen insertionis mentio fit in observationibus, *Cl. Meibomii, Prof. Helmstadiensis.* Antequam nunc hisce omnibus colophonem addimus, restat ut videamus, quid de intestinorum volvulo ita famigero sit statuendum. Volvuli hujus frequentissima apud plures praticos, & observatores fit mentio, estque iis intestini contorsio ac convolutio, atque in nodum complicatio. Hancce pluries contingere multis præclaris viris persuasum est. *Laz. Riv. in Cent. 3. Obs. xxvii.* In cadavere Iliaci exenterato tres tales convolutiones se invenisse tradit. *Paulus Barbette* septuplani convolutionem in intestino Ileo se observasse testatur. *Prax. p. m. 209.* Sed fides fit penes auctorem. Multi etiam, præter eos, veteres ac moderni Medici eandem amplectuntur sententiam. In quos rursus insurgunt alii præclari viri, deque arte Medicâ optime meriti. *Cl.* ac nunquam satis laudatus *Helmontius* volvulum in intestinis non dari posse pleno ore asserit, varias rationes ac validas exhibens. *Lugdunensis* ille Hippocrates, *Celeb. Sylvius* suo antesignano ex aste assentitur, cuius à parte etiam stant plurimi moderni Medici. Sed tantorum virorum tantisque componere lites meum non judicavi, dummodo omni experientia adhuc orbatus existam. Ne autem prorsus Azymbolos videar, breviter, quid mihi videatur, dicam: fateor itaque meum excedere captum, quomodo intestina, ita contorqueri, ac convolvi possint, adeo dum stricte mesenterio sint alligata, ac autumor profecto multis tales insinuationes pro volvulis habitas fuisse: perbellè enim quandoque nodum mentiuntur. Sed hisce potius superedere placet quam multa inexperta proferre. Sicque pertrastis Ilei causis proximis ac continentibus stationem mutabitur, ac vexilla nostra in aliud agmen transferemus, de signis sc. quibus hic hostis nosci potest ut agamus, ordo exigit.

## §. VII.

Inter signa autem, quæ præsentem hostem indicant, illa enim primas tenent, hæcce sequentia primaria esse videntur; omnia, quippe, quæ de iis tradunt Practici, afferre non lubet, saltem scitu necessaria palam facere studebo. Signum itaque certum ac Pathognomicum est alys prorsus constipata, ita ut per inferiora nihil

descendat; cui si stercolis, aut chyli vomitus adsit, infallibile Ileos natales habebis. Dolor etiam plerumque adeo intolerabilis, ægrumque dolorem peracutum fixum ac permanetitem in uno vel pluribus locis percipiunt. Ructus ac rugitus adsunt immanes, ut & flatus, qui abdomen distendentes, ægros valde angunt. Vexantur quoque cardialgia, cibi fastidio ac nauseæ in principio morbi. Sed eum diversis à causis Ileos oriatur, pro earum varietate & signa sunt diversa. Si verus sit Ileos, sc. ab intestinorum irritatione nimia, etiam clysteres ac suppositoria per anum immissa evomuntur. Si vero Notha sit Passio, ac quidem producatur à fæcibus induratis, dolor nec adeo vehemens, sed magis gravatus existet, alvus antea per aliquod dies erit adstricta, nec vomitus adeo frequens occurret, febrisque ferè nulla adest.

Si vero à flatibus ortum dicitur, dolor est tensivus, murmura ac rugitus audiuntur, dolor non ita fixus est, sed vagus, excretio etiam nulla fit, colicique doloris signa ferè omnia præcessere. Si autem Heos natales suas debeat inflammationi, febris aderit intensa, ac continua, dolor erit acutissimus, morbusque mox ad statum propperabit. Hernia intestinalis si fuerit in causa, tumor in parte lœsa mox animadvertisitur, sc. vel in inguine vel in scroto aliaque Ilei signa adsunt. Si verò oriatur ab intestini insertione, vomitus erit continuus sæcum & assumptorum, urina supprimitur, podex introrsum retrahitur, extremaque frigent, quibus signis si rectè uteris facilè præsentem hostem dignoscet. Sed non sufficit Medico ex signis collatis morbum quempiam cognoscere, oportet, ut etiam prognosim ejus instituat, ac quæ futura sint & ægro & adstantibus prædicat. Nihil magis etiam ad famam medici facit, quam futurorum prædictio, hancobrem quid de eâ statuendum sit, videbimus.

## §. VIII.

Videamus igitur quid in Prognosi humeri nostri valent, quid ferre recusant. Ileos itaque est morbus periculosus, sed alius alio est periculosior. Lethaliter plerumque terminatur, si febris, aut alvi solutio supervenerit, ut ait Hipp. l. 3. de morb. tum enim sepiissime aliquod intestinum est sphacelatum. Ileus qui oritur ab inflammatione est periculosissimus, quoniam quandoque in abscessum abit, quo rupto, fæces in ipsam abdominis cavitatem cadunt, unde crudelissima symptomata. Verus quoque Ileos semper lethalis est. Chylum, biliofa, mali odoris varia nigra emovere pessimum, *Juxta Aph. 24.*

Sect. 4.

*Sect. 4.* Alvus, si ita constringatur, ut nihil immittere liceat, exitiosum est. Si Ileos ortum dicit à sola fæcum & flatum obstruktione, bonum adhuc licet sperare eventum, ac solvitur plerumque urinæ profluvio. Teste Hippocr. in Aph. 44. *Sect. 6.* sunt etiam hujus loci dicta Aph. 10. *Sect. 7.* ubi inquit: ab Ileo vomitus aut sanguitus, aut convulsio aut despicientia, malum. Si fætor, aut vermes ex ore egrediantur, exitiosum est. Si frigidus sudor Iliacis erumpat; mors est præ foribus. Sed ut brevis sim, Ileos valde semper est periculosus, ac mali ominis, & à tam infausto hospite, parum boni sperare licet. Plura adhuc alia prognostica signa in ipsis auctoribus inveniuntur, quæ inde excerpere & hic apponere opus esset inutile, idcirco B. L. ad illos ipsos remittimus. Quapropter ut res voto respondeat, hoc est, ut brevitatem colamus, causas & signa, & quæcunque præcessere missa facimus, visuri, quid ipsa cura in hoc affectu valeat.

## §. IX.

Diæteticæ, (huic enim merito primus concedendus locus, frustra enim laborabit medicus præscribendo remedia, si æger rectam diætam servare nesciat) de moderamine sex rerum nonnaturalium tractantis prima erit habenda ratio.

Inter sex res non naturales agmen dicit, aër, qui si fieri possit, comparetur temperatus, si autem ab inflammatione ortus est Ileus frigidum eligerem, si me voti compotem fieri daretur; aliter si natura haberi non potest, arte parandus erit. Sin malum hoc fæcum obstructioni suas debeat natales, humidus magis est appendens.

Aërem à tergo sequuntur, cibus, & potus, illi tamen vix merentur, ut hic loci considerentur, quia nullo modo retineri possint: ac licet æger appetat, quod tamen raro accidit, præstaret, ut se ab iis abstineat. In inflammatione autem, si cibus est exhibendus, victus conductit refrigerans, in fæcibus induratis emolliens. Vitan da sunt omnia cruda, frigida, flatulenta, salsa, pinguia, ut quæ inflammationem augere possunt; pullorum ac carnis ovillæ juscum hic magis convenient. Si inflammatio sit à stercoribus induratis, pro potu ordinario utatur æger steroris equini decoctum. Quorum loco delicatulis possunt exhiberi varia julapia, ac emulsiones.

Somnus ac vigiliae nunc sese etiam offerunt: quæ pro varierate

causarum varie sunt adhibenda. In inflammatione quippe intestinorum somnis potius est suadendus; in obstructione autem magis sunt imperandæ vigiliæ.

Motus & quietis quoque eadem est habenda ratio. In inflammatione etenim conducibilior est quies; in obstructione autem è contra motus.

Multum quoque interest, ut excreta ac retenta voto respondeant, quapropter omni operâ innitendum est, ut fæces alvi educantur, alvisque laxa servetur: Mensium, hæmorrhoidumque fluxus ordinarium servent motum oportet, urinæque excretio sese more solito habeat.

Rerum nonnaturalium tandem agmen claudunt, animi pathemata, quæ, quantum possibile modum non excedant oportet; exulent ira, & tristitia, hilaritati magis studendum. Specialiorem diæticam præscribere non licet, in immensum tunc enim nostra thesis excresceret, quod absit, librum enim conscribere non annitor. Quamobrem Diæticæ colophonem addentes, ad ipsam curam Methodicam properamus.

#### §. X.

Ad curam Methodicam tandem pervenimus, quæ consistet, 1. in restituendo ventriculi & intestinorum motu inverso. 2. In corroborandis intestinis ab humoribus acribus debilitatis. 3. In eliminandis humoribus peccantibus. Quibus tribus si satisfieri poterit, verus Ileus curabitur. His indicationibus sufficere posse videtur hæc Methodus adeò à Cl. Sydenham. laudata, & probata; nempe sumat æger salis absinth. 1j. ex cochleari uno succi limon. hocque bis de die manè sc. ac sero utatur. Dum his utitur, propinetur ægro quaque horâ aq. menth. still. cochlearia aliquot, ut vomitus illi enormes, doloresque inde nati sedentur. Interim catulus vivens indesinenter accumbat ventri ægri. Sicque ventriculo ac intestinis corroboratis, vomituque ac doloribus per diem unum & alterum cessantibus, ut materia illa acris in intestinis hærens eliminetur, propinetur ægro aq. menth. 2j. in quâ soluta est mass. pillul. cochiae 3j. ast ne vomitus redeat, tempore purgationis assumat æger, quandoque aq. menthæ. Sed cavendum est, ne purgatio instituatur antequam intestina jam sint corroborata, motusque peristalticus qui erat inversus in pristinum statum sit reductus. Purgantia enim alias semper scopum Medici frustrantur, ac loco purgationis, vomitio-

mitionem instituant. Utatur interim æger victu tenuiori. Vescatur solummodo bis terve de die juscumi Gallinacei aliquot cochlearia. Ac ut recidivæ præveniatur, æger sepe per longum tempus lecto applicet, donec prorsus convaluerit, ventremque laneis duplicatis tegat ad arcendum frigus externum. Quà methodo *Clariss. Sydenham.* se feliciter usum fuisse testatur.

Si autem Iliaca passio oborta sit à fæcibus induratis alia via erit in curatione inflectenda. A lenientibus & emollientibus cura erit sollicitanda clysteribus. In quem finem paretur clyster ex lact. vacc. lib. adjectis sachar. & albumine ovi, cui indatur tintur. Castor. q. s. vel ℥. Jur. pull. ʒvij. Sach. rubr. ol. oliv. an. ʒi. F. Glymma, quo repetito si fæces emollitæ fuerint, ut materia stercorea educatur, iis addi potest aliquis stimulus ex purgantibus mitioribus. Hauriat aliquando etiam æger decoctum stercoris caballini. Sunt qui hoc in casu intestina follibus inflant, ut fæces inde motæ descenderent, sed fateor ingenuè me huic remedio meum calculum addere non posse, si enim fæces induratae sint, non video qui contra aërem inflatum descendere possent & ac metuerem magis periculum, ne si inflammatio adesset, aëris suo frigore poros constringendo affectum potius augeret quam diminueret; quamobrem hancce methodum planè rejiciendam esse censeo. *Helmonius* globulos plumbeos in casu desperato deglutiendos suadet, qui solo suopondere stercus induratum descendere faciunt. Sed cautius hisce mercandum censeo, ne iis in intestinis remorantibus majus periculum ægro accidat.

Quod si à flatibus in intestinis magnâ copiâ genitis suas natales traxit Iliaca passio, ad clysteres carminantes mox erit confugendum. Tale erit sequens. ℥. Herb. puleg. ruta: calam. an. Mj. summi. cent. min. Mj. Sem. carminat. an. ʒj. Coq. cum hydrom. colat. ʒvij. adde El. Diacath. Mell. merc. an. ʒj. Propinetur ægro Mixtura ex carminat. constans. E. g. ex aq. meliss. menth. fœnic. sp. sal. armon. sal. volat. oleof. syr. quinque rad. &c.

Videamus nunc porro quid sit agendum in Ileo ab inflammatione genito. In eo, ut æstus sanguinis imminuat, porique vasorum collabantur, statim instituenda erit V. S. eaque, primâ incassum exhibitâ, & alia, si ægri vires ferant, erit instituenda. Dein injiciatur clyster ex emollientibus constans. Quod si ex ulceratio sequatur iis frustra adhibitis, maturantibus, ac postea:

postea abstergentibus insistendum. Sed si totum exulceretur intestinum, ita ut fæces in ipsum abdomen decidant, aut gangræna, vel sphacelus superveniat incassum medicamenta adhibebis, mors quippe jam fores pulsat.

Si vero ex herniâ intestinali procedat, facilioris erit curationis, manu enim chirurgica, repositis intestinis, sponte sæpius finitur. Ast, si fæces jam sunt induratae, clyster emolliens erit injiciendum, decoctumque stercorinum bibat æger. Fovetque tumorem seq. cataplasma. R. Fol. malv. linar. fl. chamæmel. verbasc. aneth. sem. lini an. Mj. Cumin. 3ij. cum lacte bubulo fiat cataplasma. Quo sæpius applicato se quempiam feliciter restituissè testatur Dolans.

Si vero ab insertione intestini producta sit Iliaca passio, mors est in olla, nempe si pars superior intrusa sit in partem inferiorem, ast si spes affulserit, eam aliter sese habere, Mercurius crudus ad aliquot uncias est deglutiendus, globuli aurei assumendi, quibus adhibitis æger se movere debet. Sed hoc non temerè est faciendum ob convulsiones & symptomata, aliaque mala inde oriunda, si res non procedat. Sed satis jam haec prata bibere, calamoque meo concedenda quies, plura quippe ex aliis auctoribus afferre non lubet, sed L. B. ad ipsos auctores remitto, quapropter

*Jam satis est, ne me Crispini scrinia lippi  
Compilasse putas, verbum non amplius addam.*

F I N I S.